



416

V. 2<sup>f</sup> J.

(cat. 4, 57. 58.)



4.

PROGRAMMA  
DE  
**COMPOTATIONVM**  
**TVBARVMQVE AC TYMPANORVM**  
**ABVSVM**

PRAESERTIM DIEBUS  
AETERNI NVMINIS CVLTVI DESTINATIS

VITANDO

IN

**ACADEMIA IENENSI**  
**PROMVLGATVM.**







PRORECTOR  
ET  
SENATVS  
ACADEMIAE IENENSIS

S. D.  
CIVIBVS.



Hi studiorum ipsorum, ac vitae academicae ratio a Vobis requirit, vt sobrie temperanterque agatis; tamen vitium illud, nescimus qua consuetudine validum, quo computationes immodicae, festis pariter ac profanis diebus, aguntur, & ne Bacchi his orgiis sollempnitas desit, inter tubarum clangores, tympanorumque strepitus, celebrantur, nondum reprimere in hac meliorum artium officina, nedum tollere, aut eradicare potuimus. Vsque eo scientiarum & elegantiae omnis cultores, non Germanos duntaxat barbaros, sed Scythas quoque ac Thraces saepius imitantur: quorum illi, dies noctesque continuare potando, virtuti sibi ac laudi ducebant; hi, maiorem adhuc in ebrietate famam quaerentes, & bibendo plurimum posse, & mero vestes perfundere, inque aedibus & plateis se turpiter dare, praeclarum oppido, ac beatissimum vitae genus cen-



censebant. Foedum dictu cogitatuque est, illas maxime dies heluatione ac temulentia apud nos violari, quae vel cultui diuino dicatae sunt, vel ferias istas proxime antecedunt, praeparationemque ad actus religiosos & sacros deponunt. Tanquam ebrietas Christianorum Numini, haud secus ac Diis olim gentilium, consecranda veniret. Qualem in modum vinalia quaedam sacrificia Romae fiebant; & in Atheniensium ciuitate, ludi gymnici, in Bacchi honorem, agitabantur: vbi vinum vndique circumferri, magnaque bibendi licentia, inter multiplices cantus ac strepitus, vsurpari solebat. Nobis vero, qui rectius atque sanctius, de rebus diuinis pariter ac humanis, sentire didicimus, non ex naturae duntaxat legibus, sed ex Dei quoque oraculis constat, eiusmodi pergraeandi consuetudinem, & edictis a Deo grauibz interdici, & suppliciis iustis puniri. Certe Paulus, diuino spiritu actus, non tantum Ephesiis suis, sed omnibus Christo addictis: *NOLITE, inquit, INEBRIARI!* Et sapientissimus regum, Salomo, rem tumultuationis ac luxuriae plenam, ebrietatem appellat, & qui ea se oblectauerint, illos a vera atque coelesti sapientia procul abhorreere pertendit. Quantas porro iratum ac iustissimum Numen, a peruersis huiusmodi compotoribus, nisi ad frugem redierint, poenasumat; tum Nabalis, ebrietas sua oppressi, tum Neronis, inter heluationes turpissimas, confestim ac misere pereuntis, tum epulonis praesertim diuitis, tandemque ad inferos descendens, totque aliis temulentorum exemplis, testatum est. Neque enim tam castum, tamque placidum Numen, ebrietate aut licentia, sed tranquillitate ac temperantia coli debet. Nasiraeis proinde, ad res diuiniore vocatis, vini pariter ac potionis nimiae vsus prohibebatur. Quodsi hominum piorum exempla in libris sacris intueamur; nihil continentius illis, nihil probius aut tranquillius dici potest. Horum autem, si non similes penitus, tamen imitatores, Vestro ac reipublicae bono, Vos esse, & sicut a perpetrationibus, actiones praecipue sacras, die Saturni ac solis, impredientibus, ita ab instrumentis & incentiuis temulentiae, tubis nimirum ac tympanis, abstinere, eo Vos iussit edicto, quod vel hoc nomine totum hic inferuimus, ne maiestati verborum ac ponderi quicquam detraheretur:

Euch ist erinnerlich / wasmaßen bey jüngst gehaltenem allgemeinem Landtage über das vielfältige Schmausen mit Pauken und Trompeten / absonderlich des Sonnabends / und unter andern auch daher rührende Entbeyligung des Sonntags / verschiedene Beschwerden geführt worden. Nachdem wir nun in dem hierauf ertheilten  
Land:



Landtags=Abschiede Uns in Gnaden erkläret / solchen  
Unfug hinkünftig abzustellen: Als begehren wir hiermit  
gnädigst / Ihr wollet eure untergebene Ciues von dem  
vielsältigen Schmausen mit Trompeten und Pauken / ab-  
sonderlich des Sonnabends / vermittlest eines gedruckten Pa-  
tents nachdrücklich ab- und dargegen zu Heyligung des  
Sonntags anmahnen / auch hinkünftig dergleichen / ohne  
unsere special Erlaubniß / nicht gestatten. An dem geschicht  
unsere Meinung etc.

Vos, CARISSIMI, iusta haec, & partibus vestris conuenientia iudicabitis,  
quia Princeps praecepit; eoque Vos animo esse, comprobabitis, ne,  
si secus egeritis, Deo, sique in veritum nisi fueritis, Principi ac Sena-  
tui poenas pendatis. P. P. SVB ACAD. SIG. DOMINICA XXIV POST TRINIT.  
A. R. S. CIO 1500 XII.



Jo. 416. 2<sup>o</sup>

ULB Halle 3  
003 899 721



56.

1078

13 17

21. 2









41.

PROGRAMMA

DE

POTATIONVM

IQVE AC TYMPANORVM  
ABVS

AESERTIM DIEBVS

VMINIS CVLTVI DESTINATIS

VITANDO

IN

DEMIA IENENSI

ROMVLGATVM.

